

hæretico non est irritum. Concilium autem Toletanum IV jubet quidem separari conjuges, sed non loquitur nisi de Judæis, et in Hispania: neque enim concilium illud universale, sed nationale fuit, quare legem toti Ecclesiæ dare non potuit.»

Est ergo propositio: «*Matrimonium inter fidelem et infidelem non baptizatum, irritum esse ex more populi Christiani, vim legis obtinente, probatur; nam ab annis ut minimum 400, sine ulla controversia creditum est, in Ecclesia Christiana, ista matrimonia esse nulla. Nam et Magister sententiarum, et Gratianus, et deinceps omnes theologi, et canonistæ, tanquam rem exploratam, et a majoribus acceptam hoc tradiderunt. Cum igitur tota Ecclesia a multis sæculis id crediderit et servaverit, et tamen certa aliqua lex non inveniatur, necesse est ut id paucatim sit introductum, et consuetudo vim legis obtinuerit.*» Hæc Bellarminus, *De matrim. sacramento*, lib. I, cap. 23.

Ex his illud sane inferas licet, nempe quod «*potest Summus Pontifex, si causa id postulet, cum fideli dispensare, ut cum infideli matrimonium contrahat.*» Idem, *ibi*.

(115. Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim, textu expresso in cit. c. *Quanto 7*, De divortis, *ibi*: «*Si vero alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu, is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare;*» et tenet communis DD. cum S. Thom. in 4, dist. 39, art. 1, in corpore, ubi sic dicit: «*Si vero infidelitas conjugis matrimonium sequatur, non propter hoc vinculum matrimoniale dirimitur, sed potest fieri separatio a toro et cohabitatione, sicut et propter fornicationem carnalem;*» et quod non solvatur tale vinculum propter hæresim, definitivè conc. Trid., sess. XIV, *De matrim.*, can. 6, *ibi*: «*Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem... posse dissolvi matrimonii vinculum, anathema sit.*»

(116. Imo nedum non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu catholico contrahantur. Sic S. Thom. in 4, dist. 39, quæst. unica, art. 1, ad 5; S. Bonavent., in 4, dist. 39, qu. 1, art. 1; Abbas, in cap. *Si conditiones 7*, De conditionibus appositis, num. 5, et *ibi* Cardinalis, num. 3; Joann. Andr., num. 8; Sanchez, lib. VII, disp. 72, num. 2, et communis aliorum arg. cap. *Decrevit 74*, De hæreticis, in 6. (117. Quinimo secundum Sanchez, *loc. cit.*, n. 5, Azorium, lib. VIII, cap. 11, q. 5, et varios alios, matrimonia cum hæreticis nedum sunt valida, sed insuper sunt licita in locis ubi hæretici et Catholici permixti vivunt. *Vid.* tamen verb. *Hæreticus* a n. 20 ad 26, ubi affertur in contrarium novissimum Decret. Clementis XI, sub die 16. Junii 1710, relat. a card. Petra tom. IV *Commentar. in con-*

stit. 12 *Joannis XXII*, num. 14. Vide *ibi*, ubi multa sapientissime adducit ad rem.

ADDITIONES CASINENSES.

Apud Græcos synodus Trullana, can. 72, orthodoxorum cum hæreticis connubia irrita decrevit. «*Non licere (en verba can.) virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed, et si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, et nefarium conjugium dissolvi. Neque enim quæ non sunt miscenda misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet.*»

Ad quem canonem hæc notat Espenius, nempe: «*Si hic per hæreticum intelligatur omnis qui pertinaciter quodcumque dogma hæreticum sustinet, et fidei catholicæ in aliquo articulo adversatur, tametsi sit baptizatus, et in Christum credat, habebitur hic impedimentum dirimens, hæc tamen apud nos non receptum: licet enim Ecclesia etiam Latina summopere, idque pluribus, et arduis ex causis, improbet matrimonia orthodoxorum cum hæreticis; non tamen impedimentum dirimens hæc tamen constituit, nec matrimonia hujusmodi irrita existimavit.*» Acholia in *can. Trull.*, sub can. 72.

(118. *Vis*, seu violentia, quantum ad præsens, est metus gravis et injuste incussus, inducens virum seu feminam ad contrahendum matrimonium, quod alioquin nullo modo contraxisset, nisi ad id metu illo seu violentia fuisset compulsus, seu compulsus. Est in re communis; arg. cap. *Abbas 2*, cap. *Ad audientiam 4*, et cap. *Cum dilectus 6*, De his quæ vi metusve causa fiunt, et l. *Metum autem*, ff. eodem. (119. *Vis*, et metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem; metus gravis, seu cadens in virum constantem, est ille quem vir constans et fortis prudenter et rationabiliter concipit de gravi malo sibi, aut consanguineis, vel affinibus inferendo. Est in re communis, arg. cit. l. *Metum autem*, et cit. cap. *Ad audientiam*. Metus levis, seu cadens in virum inconstantem, est ille quem vir pusillanimis concipit de levi tantum malo, aut gravi quidem, sed immerito, ac irrationabiliter, et imprudenter, cum non certa, prudenti, et rationabili, sed solum levi, et irrationabili sua æstimatione, tale grave malum ei imminet, et sit eventurum. Est in re communis, arg. cit. l. *Metum*, et cit. cap. *Ad audientiam 4*, et cit. cap. *Cum dilectus 6*, De his quæ vi, etc.

(120. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur. *Primo*, quod malum quod timetur sit grave in se, et non solum in vana æstimatione metuentis. *Secundo*, quod cum rationabili fundamento, et non leviter et imprudenter timeatur. *Tertio*, ut metum incutiens potens sit minas exsequi. *Quarto*, quod is qui timet non possit ullo

modo minanti resistere, aut vitare malum quod timet. Quod si alterutra harum conditionum deficiat, metus erit levis, seu cadens in virum inconstantem; argum. cap. *Cum dilectus 6*; De his quæ vi metusve causa fiunt.

(121. Metus alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera. Primus est metus intrinsecus ab ipsomet metuente susceptus, vel ex propria passione, vel ex causa naturali, ut est metus mortis imminens ob morbum, naufragium, bestias; item metus inferni, et hujusmodi. Secundus est metus extrinsece ipsi metuenti ab alio homine incussus, ut cum quis minatur alteri mortem, mutilationem, incarcerationem, spoliationem honorum, et hujusmodi, nisi suæ voluntati adhareat. (122. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste. Metus justè incussus est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia tenetur, v. gr. nisi ducat, vel dotet puellam, quam violavit. Metus injustè incussus econtra est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid ad quod de justitia non tenetur, v. gr. nisi ducat puellam, cui nec ratione promissionis, nec ratione violationis tenetur.

(123. Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso jure nullum et invalidum. *Communis*; arg. cap. *Cum locum 14*, De sponsalibus, ubi dicitur quod contracturus matrimonium «*plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire,*» et cap. *Veniens 15*, et cap. *Consult. 28*, eod. (124. Metus gravis injuste incussus dirimit matrimonium jure nature, S. Th., in 4, dist. 29, qu. 1, art. 3; S. Bonaventura, ead. dist., num. 5; Scotus ead. dist., 29, quæst. unica, § *De secundo*; Covarruvias, par. III *De matrimonio*, cap. 3, § 5, n. 6; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 41, num. 48 et sequent., et alii plures, arg. cap. *Cum locum 14*, De sponsalibus; ubi dicitur: «*Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit.*» (125. Sine consensu autem matrimonium est nullum jure nature, adeoque, etc. Metus levis, etiam si sit injuste incussus, non invalidat, nec dirimit matrimonium. *Communis*, textu claro in cap. *Cum dilectus 6*, De his quæ vi metusve causa fiunt, et l. *Metum autem*, ff. eod., et arg. cap. *Veniens 15*, et cap. *Consultationi 28*, De sponsalibus, ubi requiritur quod metus sit talis, qui *cadere possit in virum constantem*, scilicet gravis.

(126. Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit matrimonium; argum. cap. *Sicut nobis 17*, De regularibus, ubi votum religionis emissum a constituto in lethali infirmitate, censetur validum, et servari jubetur: ergo a pari idem dicendum est de matrimonio contracto ex metu gravi ab intrinseco proveniente, v. gr. de eo qui, metu imminens mortis, et timore inferni contrahit matrimonium cum concubina; ita Covarruvias *De matrimonio*, part. I, cap. 3, § 4, num. 26 et seq.; Reif-

fenstuel, *loc. cit.*, num. 26; Sanchez, lib. IV *De matrim.*, disp. 12, n. 4 et seq., et alii passim. (127. Nec etiam invalidat et dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus. *Communis*; arg. cap. *Ex litteris 10*, De sponsalibus, ubi matrimonium ante promissum, si contrahatur metu excommunicationis per judicem infligendæ, validum censetur, ex cap. *Pervenit. 2*, De adulter. et stupr., ubi ille qui, ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus, renuit nubere, jubetur excommunicari, et sic indirecte cogi ad nubendum, et l. *Continet 3*, § 1, ff. *Quod metus causa*.

(128. Adulterium præcedens, seclusa machinatione, et fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens matrimonium; Bened. XIV, tom. I, constit. 113, incip. *Redditæ*, § 12.

Alia ad rem *vide* verb. *METUS*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(129. De ratione probandi impedimentum matrimonii non inutile est disserere. (130. Distinctio autem in subjecta materia recepta est, quod aut sumus in matrimonio nondum contracto impediendo, et levis sufficit probatio. (131. Aut vero in matrimonio versamur, jam contracto dirimendo, et probatio requiritur plenissima. Idque adeo verum est, ut hoc in casu, nec utriusque sponsi confessio de impedimento attendi queat, ut communiter firmat Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univ.* lib. IV, part. III, tit. 13, n. 30 et seq.; Pichler., *Jur. canon.*, lib. III, tit. 13, num. 7; Sanchez, *De matrim.*, lib. II, disp. 43, num. 3; Molin., *De rit. nuptiar.*, lib. I, comparat. 15, n. 32, et plur. seq.; Panimol., dec. 19, adnot. 3, n. 52, 53 et seq. (132. Quæstionis vero est, an idipsum obtineat si confessio hæc emissa sit a sponsis ante matrimonium contractum? Affirmare videtur Rota *coram Penia*, dec. 211, ea de ratione, quod emissa sit eo tempore quo suspicio collusionis cadere haud potest.

(133. At confessio conjugum de impedimento, sive emissa sit matrimonio constante, sive ante contractum matrimonium, rejicienda indistincte est, (134. idque quia sacri canones dum disponunt, ne stetur confessioni conjugum de impedimento, sese fundant, non in periculo solum collusionis, sed et in præjudicio inde obveniente proli, (135. aliisque bonis matrimonii, ut notant Barbos., in *Collectan. DD. in decr.*, lib. IV, tit. 13, cap. *Super eo*, n. 3; Wagnerek., in *Comment. exeget. sacr. canon.*, lib. IV, tit. 13, dict., cap. *Super eo*, not. 1; Pirhing in *Jus canon.*, lib. IV, tit. 13, § 3, num. 17; Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univers.*, lib. IV, part. III, tit. 13, n. 33; Pichler., *Jur. canon.*, lib. IV, tit. 13, n. 17; Molin., *De rit. nupt.*, lib. I, comparat. 15, n. 41, in fin. (136. Hoc autem præjudicium, cum æque urgeat, si confessio conjugum de impedimento emissa sit vel matrimonio constante, vel ante matrimonium contractum, utroque propterea casu

reici debet, ut sensit Rota in *Campostellana* 10 Januarii 1737, § 12, *Coram R. P. D. Ganilliae*, et 27 Novembr. 1758, § 13 et 15, *coram reverendissimo P. D. Bussio decano*.

(137. Quod vero attinet ad decis. 211, *Peniae*, satis est animadvertere quod Rota in *decisione*, citra ullam causae necessitatem, dixit standum esse confessioni conjugum de impedimento, emissae ante contractum matrimonium, eo quia revera non concurrerat confessio haec, ut patet ex n. 16. (138. Vulgatissimum autem est, nequaquam esse attendenda, quae supremum hoc tribunal praeter necessitatem causae tangit.

DE MATRIMONIO SUB CONDITIONE, MODO, ETC.

Novus Casinensium articulus, in suppl. ad art. 5 auct., n. 13.

(1. Quia porro omnes contractus non tantum pure et absolute, sed etiam conditionate iniri possunt, ita quoque sponsalia, et matrimonium. Engel, ad tit. 5 Ex. de *condit. appos.* Quippe « si post Trident. celebraretur aliquod matrim. coram parcho, et testibus, sub aliqua conditione, judicandum esset de eo sicut ante Tridentinum, cum praeter solemnitatem parochi, et testium, nihil aliud immutavit Tridentinum. » Sanchez, *De matrim.*, lib. v, disput. 1, n. 1.

(2. Jam vero sponsalibus et matrimonio potest aliquid adjici, vel ut *conditio*, vel ut *modus*, vel ut *monstratio*, vel ut *causa*, vel tanquam *dies*, qua contrahi debet; de his singillatim agendum.

(3. *Conditio* est adjectio dispositioni, id est actui vel contractui apposita, suspendens aut resolvens ipsam dispositionem quae sub ea sit, DD. communiter. Quae *conditio* ordinarie exprimitur per particulam *Si*: *Si pater consentiat, Si navis ex Asia venerit*, etc.

(4. Potissima conditionum distinctio est, ut aliae sint de praesenti, aliae de praeterito, aliae de futuro. *Conditio de praesenti* est, quae circumstantiam pro praesenti tempore, quo fit contractus, denotat: nempe *contraho tecum, si es virgo*, etc. *Conditio de praeterito*, circumstantiam jam secutam respicit, nimirum, *Contraho tecum, si navis ex India jam advenerit*, etc. *Conditio de futuro*, circumstantiam primum eventuram denotat, et donec eveniat obligationem suspendit, eaque non eveniente, dissolvit: v. g. *Contraho tecum si pater meus consenserit*.

(5. Jam vero *conditio* proprie de futuro intelligenda est, non de praesenti, vel praeterito; quippe de natura verae conditionis est suspendere valorem actus, et obligationis ejus, atque efficere ut actus possit subsistere, vel deficere, juxta existentiam nem-

(34) Idem in terminis docet Sanchez, hoc pacto: « Prima conclusio sit: *conditio* honesta et possibilis de praesenti, vel praeterito, adjecta matrimonio, illud non vitiat, nec suspendit, sed si *conditio* tunc est vera, ut si *pater tuus vult, vel voluit*, est statim validum matrimonium, si vero est falsa, est statim irritum. Haec conclusio est D. Thomae... quem omnes

pe, vel defectum conditionis. Cum ex adverso nulla sit *conditio* quae in praeteritum conferatur, vel in praesens, sed statim contractus valeat, vel irritus sit, ex existentia nimirum, vel non existentia hujusmodi conditionis.

(6. *Conditio de futuro* rursus dividitur in necessariam, quae non potest non evenire: ex. gr. *si cras oriatur sol*; et contingentem, quae potest evenire, vel non, quaeque in *potestativam, casualem, et mistam* dispescitur, ut a nobis in addit. sub v. LEGATARIUS, LEGATUM, expositum fuit. *Vide ibi*.

(7. Amplius *conditio alia* possibilis, alia impossibilis, alia honesta, alia turpis esse potest. *Videsis ibi*.

(8. Quibus praemissis, ad applicationem doctrinalem, juxta conditionum variam indolem, gradum faciamus.

(9. Ac primum si de *conditione* honesta, et possibili de praesenti, vel de praeterito agatur, haec « adjecta in actu ipsius matrimonii, illud non suspendit; sed si *conditio* tunc vera sit, matrimonium illico est validum, si falsa illico irritum.... Ideoque videmus hanc conditionem: *Contraho tecum, si es virgo*, non rejici; et matrimonium sic contractum esse nullum, *si mulier sit corrupta*... Et idem est de *conditione*, *Si non es caeca, muta, leprosa, et similibus*. » Fagnanus, ad tit. 4, ex. *De condit. apposit.*, cap. *Si conditiones*, n. 16, 17 et 18 (34).

(10. Item si adjecta sit haec *conditio de praesenti*, *Contraho tecum si es legitima*, « non videtur posse dubitari, quominus praesens *conditio*... ex sui natura possibilis et honesta sit.... Unde sequitur ut matrimonium, ut proponitur, contractum, ab initio nullum fuerit, cum nunquam existerit *conditio honesta* et possibilis illi adjecta. » Fagnanus, *ibid.*, n. 19 et 20.

(11. « Superest nunc examinandum (sic idem Fagnanus) an convaluerit matrimonium hocce per copulam subsecutam... Cum hoc casu mulier ante copulam illegitima esset, atque ita jam defecisset *conditio illa, si mulier est legitima*, copula subsequens nihil profuit ad matrimonii validitatem; et haec est communis omnium sententia... Quibus accedit quod, etsi per copulam conjuges viderentur recessisse a *conditione*, tamen cum matrimonium esset nullum ab initio, necessarium fuisse iterum contrahere coram parcho et testibus, ad praescriptum conc. Trident. » L. c., n. 21 et 24.

(12. Et quoties de *conditione* honesta et possibili de praesenti, vel de praeterito agitur, matrimonium nequaquam validari per copulam subsecutam, tenent Reiffenst., tit. cit., § 1, n. 14; Abbas, in cap. *Per tua, h. tit.*; Ancharanus, *ibi*, etc. Secus vero se res

sequuntur. Et quamvis D. Thomas solum loquatur de *conditione de praesenti*, at omnes idem dicunt de *conditione de praeterito*. » *De matrim.*, lib. v, disput. 6, n. 4. Id quod pari modo obtinet, etiamsi contrahentes ignorent, *conditionem jam existere, vel existuisse*; Layman, Pirhing, apud Reiffenst., ad tit. 5, ex. *De condit. appos.*, § 1, n. 12.

habet in *conditione de futuro*, ut infra dicendum.

(13. Quaeritur quid efficiant *conditiones* necessariae? *Condicionem* hujusmodi quaecunque, etiam de futuro conceptae, matrimonio vel aliis contractibus adjectae non vitiant actum, nec suspendunt, sed faciunt quod actus illico valeat, ac si nulla *conditio* apposita fuisset. Limitatur conclusio in casu, quo ex circumstantiis colligitur *condicionem* necessariam esse appositam, non tanquam *condicionem*, sed praefinitionem ac determinationem temporis, quo quis, juxta promissum, nubere velit; v. g. *contraho tecum, si pater meus morietur*. Quamvis enim haec *conditio* sit necessaria, tamen bene fieri potest quod non per modum *conditionis*, sed temporis apponatur, ut sensus sit: quam primum *pater meus mortuus fuerit, contraham tecum*, nam tunc usque ad mortem patris suspenditur obligatio contrahendi. Sanchez apud Reiffenst., l. cit., n. 10 et 11.

(14. Quod « si matrimonio apponatur inhonesta aut turpis *conditio de praesenti*, vel de praeterito, puta, *contraho tecum si odio habes inimicum meum: si fornicasti*, non habetur pro non adjecta, sed omnino attenditur, ita ut matrimonium statim valeat, si *conditio* subsistat; irritum autem, et nullum sit, si non subsistat: Covarruvias.... Alexander de Naevo.... Quippe turpis *conditio de praesenti*, aut praeterito non invitat ad peccandum, sicuti (*conditio*) de futuro. » Reiffenstuel, *ib.*, § 2, n. 45.

(15. « Nec obstat cap. fin. tit. cit. *De condit. appos.*, turpes *condiciones* pro non adjectis reputans... Nam contra est, quod cit. cap. loquatur de *condicionibus* proprie dictis, hoc ipso, quod verba legum et canonum in propria significatione accipere et intelligere oporteat.... *Conditio* autem de praesenti, aut praeterito, proprie *conditio* non est. » Sic idem Reiffenst., l. et n. cit.

(16. « Num autem, prosequitur Reiffenstuel, *conditio* ex natura, aut facto impossibilis de praesenti, vel de praeterito, habeatur pro adjecta, variant doctores. Pontius siquidem... cum Sylvestro... affirmat, per fundamenta praecedentis conclusionis (nempe, quod hujusmodi *conditio* proprie con-

(35) « Amplia, etiamsi post matrimonium sub *conditione* illa contractum, sequeretur carnalis copula, nam non efficeret ut matrimonium hoc omnino nullum propter prolem supervientem revisceret. » Barbosa *Collectan.* in l. iv *Decret.*, tit. 5, cap. *Si conditiones*, 7, n. 7.

(36) « Limita, ut procedat in propriis, et veris *condicionibus*, id est in iis, quae a futuro pendent eventum, secus in *condicionibus* de praeterito, vel praesenti tempore, quae vere *condiciones* non sunt. » Barbosa, *Collect. DD.*, in iv *Decret.*, tit. 5, cap. *Si conditiones*, n. 8.

(37) « Adverte tamen quia ita demum *conditio* contra substantiam matrimonii adjecta, illud vitiat si uterque conjux appositionis *condicionem* consentiat; tunc enim nullus est consensus, nec matrimonium tenet. Secus vero si alter contradicat, quia tunc matrimonium est validum, perinde ac si *conditio* non fuisset adjecta... Et idem si taceat, quia censetur contradicere favore matrimonii... Ratio est,

conditio non sit). Covarruvias vero... Sanchez.. et alii melius negant, et volunt, talem *condicionem* semper haberi pro non adjecta, consequenter matrimonium in initum semper esse validum... *Ibid.* n. 46.—At negandum non est sententiam Pontii juris conclusionibus (per ea quae dicta sunt de *condicione turpi* de praesenti, vel de futuro) magis ininiti.»

(17. Quid juris de matrimonio sub *condicione de futuro*, impossibili, aut turpi, sive inhonesta, contracto? « Si adjectiatur matrimonio turpis aut impossibilis *conditio de futuro*, quae repugnat substantiae matrimonii, vitiat, et ipso jure nullum est matrimonium (35): si vero aliae adjectantur *condiciones* turpes, aut impossibiles, substantiae tamen matrimonii non repugnant, validum est matrimonium, et *condiciones* pro non adjectis habentur. Communis et certa, textu claro, cap. fin., tit. cit. *De condit. apposit.*, *ibi*: « Si *condiciones* contra substantiam conjugii inserantur; puta, alter dicat alteri: *Contraho tecum, si generacionem prolis evites; vel donec inveniam alteram honore vel facultatibus ditiores; aut si pro quaestu adulterandam te tradas*, etc.; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu (36), licet aliae *condiciones* adjectae, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi (37). »

(18. « Objicies (sic Reiffenstuel): Consensus contrahentium est de substantia matrimonii: sed in tali casu matrimonio deest consensus, saltem contrahentis sub *condicione* impossibili ex natura, utpote qui non voluit se obligare, nisi sub *condicione* impossibili adjecta, quam, quia evenire non posse bene scivit, censendum est quod nullatenus se obligare aut contrahere intenderit; arg. § *Si impossibilis 11, Inst. de inutil. stip.*, *ibi*: « Si impossibilis *conditio*, obligationibus adjectiatur, nihil valet stipulatio; » et l. *Non solum*, 31, ff. *De oblig. et act.*, *ibi*: « Non solum stipulationes impossibili *condicione* applicatae nullius momenti sunt, sed etiam caeteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibili *condicione* interposita, aequae sunt nullius

quia protestatio hujusmodi, vel *conditio*, idcirco vitiat actum, quia partes, quae intendunt detrahere substantiae actus, non videntur consentire in actum, qui sine substantia esse non potest... At haec consideratio cessat quando unus tantum intendit detrahere, et alius non exprimit, quia tunc descendendo postea ad actum, qui mutuo consensu perficitur, et matrimonium consummando, ex quo utraque pars non consentit turpitudini contra substantiam actus, censetur recessum a *condicione*, seu protestatione... Et propterea Vincen. et Hostienhic, et communiter scribentes consulunt ut caute sint mulieres, et crebro etiam moneantur ut quando viri, ad eas alliciendas, ostendunt se velle cum eis matrimonium contrahere, et apponunt hujusmodi *condiciones* contra substantiam matrimonii, taceant, et nihil respondeant; nam secuta copula erit matrimonium. » Fagnan., ad tit. cit. *ex De condit. appos.* ad c. *Si conditiones*, n. 3.